

papiri cedula cuius tenor inferius annotatur in medium produxit, in qua apostolos dedit concessit et assignavit; tenor vero cedulae sequitur et est talis: Super appellatione vestra per vos heri hora vespereorum vel quasi insinuata nobis, dummodo huiusmodi appellatio fuerit et sit rite ac legitime ac alias infra tempus a iure statutum et per habentem ipsam appellationem si et in quantum ut praescribitur rite et legitime interposita et insinuata existat, illam admittimus, hanc nostram responsionem pro apostolis vobis damus et concedimus in his scriptis, ultra tamen apostolos in huiusmodi cedula datos et concessos praedictus dominus doctor syndicus et procurator et eo nomine a me notario infra scripto pro satisfactione actus sui testimoniales apostolos recepit ac de eis receptis protestatus fuit, requirens sibi super praemissis quotquot forent necessaria confici instrumenta. Acta sunt haec anno indictione et aliis quibus supra praesentibus ibidem honorabilibus viris Conrado Eyring et Nicolao Mutzelnitz clericis Colmensis et Bambergensis diocesium testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Nicolaus Helmsleger clericus Caminensis diocesis publicus sacri imperii auctoritate notarius etc.

No. 220. 1443. 13. Mai.

B. Johann von Merseburg beauftragt den Mag. Nicolaus Langinberg, Official der bischöfl. Curie den Probst zu St. Thomas früher gesprochener Entscheidung gemäss (No. 217) in Gegenwart von Notar und Zeugen in den Besitz der ihm widerrechtlich entzogenen Stelle einzuführen.

Johannes dei gratia episcopus Merseburgensis cancellarius unicus almae universitatis studii Lipezensis nostrae diocesis a sede apostolica specialiter deputatus honorabili viro domino Nicolao Langinberg artium magistro, vicario nostro in spiritalibus curiaeque nostrae episcopalis officiali generali salutem in domino fidelitatemque in commissis ac mandatis nostris huiusmodi immo verius apostolicis firmiter obedire. Pridem venerabilem virum dominum Borchardum praepositum monasterii sancti Thomae Lipezensis suo loco, quem pacifice sui praedecessores praepositi et ipse iam praepositus dicti monasterii in collationibus et sollempnitatibus dictae almae universitatis possederunt, a nonnullis ipsius studii magistris temere et de facto spoliatum, prout ipse huiusmodi spoliium coram nobis probavit ac de ipso docuit, duximus restituendum, prout de iure spoliatus ante omnia est restituendus, ac dictis magistris mandavimus, quatinus ipsum dominum praepositum per nos ut praemittitur restitutum in sua possessione non perturbarent seu impedirent, prout haec et alia in nostro processu plenius continentur. Cumque nobis non constat, ipsum dominum praepositum possessionem dicti sui loci rehabere, committimus et mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae dicta auctoritate, quatinus praefatum dominum praepositum assumtis vobis notario et testibus fidedignis ad locum suum memoratum auctoritate nostra restituatis et reponatis quietum et pacificum ac ad possessionem ipsius loci actualem realem et corporalem inducatis cum sollempnitatibus debitis et consuetis. Datum Merseburg anno domini millesimo quadringentesimo quadragésimo tertio feria secunda post dominicam Jubilate nostro sub impresso sigillo.

Nach dem Orig. auf Papier im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem aufgedrückten Siegel des Bischofs.